(§. 33. Fig. 1.)

MESEMBRYANTHEMUM PERFOLIATUM *Haw.*

MESEMBRYANTHEMUM perfoliatum; caule fruticoso ramisque simplicibus erectis strictis, foliis vaginato-decurrentibus grossis punctatis albidis superne erecto-patentibus abbreviatis farcto-triquetris mucronatis, angulo carinali apicem versus integris aut dente uno alterove respiciente instructis.

M. perfoliatum β. monacanthum; carina subtus unidentata. *DC. Prod. 3. p. 430.*

M. perfoliatum; foliis longe connatis triquetris glaucis cuspidatis apice subtus triacanthis, floribus purpureis. *Spreng. Syst. Vol. 2. p. 523. (excl. Synon. Willd.)*

M. perfoliatum β. monacanthum; foliis integris vel inferne apicem versus monacanthis. *Haw. Revis. p. 121.*

M. perfoliatum β. monacanthum; majus, foliis praeglaucis subtus unidentatis. *Haw. Synop. p. 281.*

Ficoides africana, folio triangulari glauco perfoliato brevissimo apice spinoso. *Bradl. Succ. Dec. 3. p. 8. fig. 26. dextra.*

RADIX *lignosa, ramosa, fibrosa.*

CAULIS *lignosus, erectus, strictus, bipedalis et ultra, parum ramosus. Rami erecti, simplices, compressi, rigidi, primo carnosi virescentes, dein lignosi cortice cinereo-fusco.*

FOLIA *remota, basi vaginato-connata, vaginis subcompressis decurrentibus internodia tegentibus, superne erecto-patula obtuse triquetra, lateribus convexiusculis, apice acutiuscula cum mucrone roseo, lin. 9 longa et lin. 3 ad vaginas lata, albicantia nec rore glauco obducta, punctata, punctis saturatioribus ad lucem pellucidis; angulo carinali apicem versus cartilagineo, tenuissime serrulato integro, aut aculeis 1-2 validis respicientibus instructo.*

FLORES *terminales, solitarii, meridie expansi, pedunculati. Pedunculus brevis lin. 3-4 longus, superne dilatatus.*

CALYX *subturbinatus quinquefidus; laciniis subaequalibus, tribus carinulatis acutis, duabus margine membranaceis.*

PETALA *subuniserialia, lanceolata, obtusa, recurvato-expansa, laete rubicunda.*

STAMINA *collecta, filamentis sterilibus roseis apice saturatioribus circumdata. Filamenta fertilia albida. Antherae luteae.*

PISTILLUM. *Ovarium turbinatum supra convexiusculum. Styli 5-6 basi crassiusculi, subulati, erecti, flavidi, filamentorum longitudine.*

CAPSULA *5-6 locularis, maturam non vidi.*

Habitat in Prom. bon. spei. Floret a mense Julio ad Septembrem, at rarissime.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-14083-p0157-4

Observ. Synonyma quae ad hanc speciem referri debent parum numerosa sunt, quamvis planta ipsa jam diu in hortis culta et bene cognita sit. Solus Bradley illam olim distinxit et tolerabiliter icone Dec. 3. fig. 26. illustravit; at Dillenius hanc plantam non vidit, sicut et Ill. Linnaeus, cujus *M. uncinatum* α. Dillenii *M. perfoliatum foliis minoribus diacanthis Fig. 239.* est, et var. β. Dillenii *M. perfoliatum* foliis majoribus triacanthis Fig. 240., (planta in hortis hodie amissa, nisi forte sit *M. semidentatum.)* Auctores posteri omnes Ill. Linnaeum secuti sunt, usque ad Cl. Haworth qui sub nomine *M. perfoliati*, erroneo tamen, Dillenii et Bradleyi M. *perf. triacanthum* conjunxit.

Intellectu forsan utile est hic synonymiam hujusce sectionis emendare:

1) Bradleyi fig. 26. dextra ad *M. perfoliatum* verum pertinet, et
2) ejus fig. 27. sinistra, sicut et Burmanni t. 26. fig. 3., in qua Cl. Haworth *M. edentulum,* (speciem omnino delendam) instituit, atque Decandollii t. 54. pl. grass. ad *M. uncinatum* Haw. et DC. referendae sunt. Attamen
3) Dillenii fig. 239. aliam sistit plantam cui Ill. Linnaeus nomen *M. uncinati* imposuit, et quam Cl. Haworth recenter sub nomine *M. uncinelli* descripsit.
4) Dillenii fig. 240. vero, et Bradleyi fig. 46. ad plantam pertinent hodie ignotam; sed *M. semidentato* Nob. proximam, et pro ejus varietate *minore* habendam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-14083-p0158-0
DFG

M. perfoliatum.

(§.33. — Fig. 1.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-14083-p0159-9
DFG

193

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-14083-p0160-0
DFG